VOTA, ET MOTIVA A PROCESSV APPELLATIONIS ILLVSTRIS DON PETRI Pauli Ximenez de Vrrea, Zapata Fernandez de Heredia: Super articulo possessorio, in Regia Audientia Aragonum actitato.

IN DEI NOMINE: Noverint universi. Quòd Anno à Nativitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono: die vero, quæ computabatur quinta mensis Aprilis apud Civitatem Cæsaraugustæ in Camera Regij Consilij causarum Civilium præsentis Regni Aragonum, intervenerunt Magnifici Dñi DD. Ludovicus ab Exea, & Talayero Regens Cancellariam, Ioannes Baptista Alegre, Petrus Cavero, Gregorius Xulve, & Franciscus Clemens Soriano Regij Consiliarij. Corã quibus fuit positus Processus Appellationis Illustris D. Petri Pauli Ximenez de Vrrea, Zapata Fernandez de Heredia, &c. super articulo possessorio: in quo dictus Dñs Doctor Gregorius Xulve huius causæ Relator, & cæteri Dñi de dicto Regio Consilio, necnon dictus Dñs Regens, concordes prævia relatione, &c. fuerunt voti, & opinionis. Quòd attent. content. &c. tenetur, & debet pronuntiare, & declarare bene per Iudicem à quo fuisse pronuntiatũ sub diebus octava mensis Octobris, anni millesimi sexcẽtesimi quinquagesimi septimi, quinta Novembris, anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi octaui, & decima Decembris eiusdem anni, & malè ad hanc Regiam Audientiam appellatum per Illustrem Don Petrum Paulũ Ximenez de Vrrea Fernãdez de Heredia & Zapata, prin-

cip. Ioannis Michaelis de Otto Proc. neutram partium in expensis ex causa cōdēnando. Cætera supplicata locū nō habere. EX EO præcipue, & aliàs pronuntiationes Iudicis à quo cōfirmātur. Quia non cōstat de aliquo gravamine illato Illustri Dō Petro Paulo Ximenez de Vrrea, Arandēsi Comiti apellanti. Semel etenim, iterum, & tertio à Iudice à quo ad hanc R. A. provocavit. Semel, quādo sub die octava Octobris anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi septimi Franciscū Didacum Panzano fore audiendū, & nullitatem supplicatam per Procuratorē Comitis locū non habere, fuit declaratum. Iterum, quādo sub die quinta Nouembris anni 1658. revocatio prioris illius declarationis, & supersessio in causa apellatione pendente fuerunt denegatæ. Tertio denique, quando sub die decima Decembris eiusdem anni Comitem non fore partem, nec audiendum ad prosequutionem processus, & causæ, nec in ea ad ulteriora procedendum fuit pronuntiatum. Heæ omnes sententiæ iustæ fuerunt, legitimæ, & forales, prout de unaquaque loquendo, & lessionis rationes pro parte Comitis præcipuè ponderatas elidendo plene apparebit. In prima illa diei octavæ Octobris gravatum se dicit ex tribus. Quia Frācíscus Didacus Panzano Diputatorum Regni Procurator in prima publicatione de mandato fidem non fecit, contra formam Fori *Querientes de firm. iur. super posses.* iuxta quam causa hæc; quia possessoria; ducta fuit, & duci debebat. Secundo, quia quamvis fuit contra eundem Procuratorem oppositum, & declarari supplicatum non fore audiendum; mandato adhuc non ostenso; in causa conclusit, & renuntiavit. Tertio denique; quia etsi postea mandatum exhibuit, non tamen sufficiens: quia non fuit per Diputatos uti tales concesum. Non tamen obstant. Quia Forus ille; qnando procuratori rei docere de procurato-

 rio

rio iubet, non loquitur cum procuratore ante contestationem excipiente, sed cum contestante causam principalem, ut verba illius clara demonstrant: sicut enim quando ante contestationem excipit, nec cavet, nec exhibet, nec Forus super his disponit, sic neque super potestate, quamvis hæc omnia in cõtestatione requirat: Aliam siquidem in cognitione exceptionis ante contestationem oppositæ, & diversã formã procedẽdi, ac in causa principali præscripsit. Quãvis autẽ hæc ita expræssa nõ essent sufficeret quoquo modo legis formam esse velatam pro nullitate excludenda. Illud autem de oppositione quôd non audiretur, prodesse poterat actori ad instandam in causa supersessionem, vel ad eum qui se procuratorem dicebat pignorandum, capiendum, vel alijs remedijs compellendũ, donec de mandato doceret: his tamen neglectis, prout in præsenti fuerunt, etiam post renuntiatum, & conclusum in causa procuratorium de tempore deinde exhibitum debuit admitti. Nec denique insufficientia prodest: quia iuxta Regni receptam praxim litigans sub qualitate officij ducit causam legitime per Procuratorem suo solo nomine constitutum: cassu verò quo de hoc dubitaretur, mandatum exhibitum fuit concessum per Diputatos se tales nominando, simul congregatos, in loco ad Regni negotia, & causas peragendas, & expediendas solito, & asignato, ad favorem illorum qui fuerunt pro Regni procuratione â sorte dati, receptum per Notarium officij, extractum per successorem, & ex regestro eiusdem Tribunalis in quo erat descriptum: Ex quibus omnibus satis superque cum qualitate officiorum concessum deprehenditur. Fuit denique exhibitum, & pro parte Comitis neutiquam in processu impugnatum, nec de insufficientia oppositum: in nullo igitur fuit in dicta pronuntiatione gravatus. EX dictis apparet primam secundę pro

nuntiationis diei quintæ Novembris partem in qua revocatio prioris fuit denegata iustam esse. Nec minus dicendum de parte secunda quæ supersessionem in causa apellatione pendente denegavit: quia regulariter per appellationes, & recursus ab interloquutorijs, causarum progressus non suspenduntur, maxime inhibitione non sequuta, prout in præsenti: quia ante illam in Regno atentata adhuc post diffinitivas non habemus. Immo præfatus Forus voluit quod etiam posito recursu, & sequuta inhibitione posit ad ulteriora in causa procedi si actor voluerit, & hoc quando interloquutionem ad sui favorem obtinuit: idem nec minus dicẽdum quando pro reo prout hic fuerit interloquutum, cum ad imparia non debeant iudicari. Similiter igitur in hac secunda sententia gravamina cessant. Tota itaque difficultas (si aliqua in præsenti causa occurrere, aut considerari valet) versatur in tertia, & ultima interloquutoria diffinitivæ tamen vim habente, quam similiter iustam, æquam, iuri, & Foro conformem censemus. Certum est enim secundum Forum, sub rubrica, *Quòd Regens officium Gubernationis sit miles simplex* Nobiles ad obtentionem, & retentionem dicti officij fuisse exclusos, & omnino inhabiles, & incapaces effectos: requirit siquidem militiæ simplicis qualitatem (quæ in Nobilibus non solùm defficit, sed cum nobilitate repugnat) ut ex Rubro orationem perfectam continente, & præfatæ qualitatis præceptivo resultat. Et adhuc rubro deffic iente, rationes decisivæ, & finales in ipsa littera Fori iterato repetitæ non solum id suadent, sed formaliter & necessario disponunt: taliter quòd sine violentia litteræ expressa animus in contrarium inclinare non posit: hæc enim sunt. *Cum secundum Forum in pœnis corporalibus infligendis, non eodem modo puniuntur, nec puniri debent nobiliores quamadmodum infe-*

riores sitque expediens Reipublicæ per tales officia regi, & exerceri adversus quos si contra foros, priuilegia, libertates, usus, & consuetudines Regni per eosdẽ factum fuerit, seu etiam iudicatum pœnæ condignæ insurgant, ut sic toti Reipublicæ, & communi populo super conservatione prædictorum sit provissum. Recensitis postea damnis, & scandalis in Regno datis à Gubernatoribus Aragonum qui fuerant personæ magni status, & Regnicolæ oppræsi, ab ipsis non poterant consequi iustitiæ complementum, nec adhuc audebant de eisdem conqueri, subdit. *Et si dictum officium regeretur per magnas personas, magni status, ut antea fiebat, damna prædicta bono modo non possent excusari, nec eisdem remedium adhiberi, nisi tales personæ regerent, & regant dictum officium, & habeant exercitiũ eiusdem signanter quantum tangit, & tangere potest iurisdictionem civilem, & criminalẽ dicti officij, de quibus iustitia posit consequi, & haberi, & pœnæ infrascriptæ locũ habere posint & exequi in eisdem. Cùm tales pœnæ in aliis personis maioris status locum habere non posint bono modo: Idcirco statuimus, & ordinamus in perpetuũ, quòd deinceps officium Gubernationis, seu Procurationis Generalis regatur, & regi debeat per Militem naturalem, domiciliatum in Aragon. qui utatur, & uti debeat dicto officio, & habeat exercitium iurisdictionis Civilis, & Criminalis eiusdem.* Pœnæ verò illæ, quæ in hoc Foro dicuntur *infrascriptæ*, & in eodem non leguntur, mutuandæ veniunt à Foro unico *de iuramento præstando* per eundem Regem, & in eisdem Curiis edito, qui hæc habet: *Quòd si cõtra prædicta, & ratione præmissorum mors, extema membrorum, exilium, vel alia pœna corporalis, vel captio sequuta fuerit, illo casu dictus Re-*

gens Officium Gubernationis, & alii Iudices, seu Officiales qui contra prædicta fecerint substineant, & habeant substinere pœnam similem quamadmodum illi substinuerunt contra quos sic indebite contra forum, privilegia, libertates, usus, & consuetudines fuit processum. Certum est etiam, & in foro indubium Nobiles Aragonum à pœnis corporalibus omnino esse immunes. Cum itaque Forus solos illos Milites ad Officium includat, adversus quos pœnę condignę insurgant, & de quibus iustitia posit consequi, & haberi, & pœnæ corporales in ipsis locum habere posint, & exequi in eisdẽ, necessariò, & indubitanter exclusit Nobiles, contra quos nec condignę pœnę insurgere possunt, nec iustitia consequi, & haberi bono modo, nec pœnæ corporales locum habere, nec exequi in eisdem. Literalis itaque hæc est: formalis, & necessaria Fori dispositio, clara, & ab illius editione sic practicata, recepta, & intellecta: non solum in officio litigioso, in quo peculiariter disponit, sed (quod magis, & maximum est) ab identitate, & rationis potentia ad omnes Officiales (Locumtenenti Generali excepto) extensa: numquã enim postea vidimus, nec voce, aut scripto audivimus ad aliqua officia, nec adhuc ad Magistratum Iustitiæ Aragonum (prout antea erat fieri solitum) Nobilem aliquem assumptum, nec admissum. ET tantum abest, quòd Forus non fuerit in praxi receptus, quòd prætensio contraria non solum nova, nostris Foris, & consuetudini à tercertis annis, & ultra observatæ contraria, sed ab aliquo umquam tentata dicẽda veniat. Expræssa itaque est lex exclusiva Nobilium. De supervenienti nobilitate Comitis, sive repositione eiusdem in Statu, sive Comitatu de Aranda, & eius acceptatione, per litteras narrativas sententiæ plenè, & incontinenti

fuit

fuit Iudici à quo facta fides. Ex quibus, iuris agentis defectus notorius resultat: per ascensū siquidē Comitis ad nobilitatis gradū officiū cum nobilitate incompatibile, vel ascendentis renuntiatione, vel ope legis privātis, amissum fuisse verti non potest in dubium, & inductam fuisse plenam ipsius vacationem: taliter quòd continuatio exercitii, seu possessionis post acquisitam nobilitatē à Comite in possessorio libello deducta, non possessio; quia titulo, & colore eius aliquo omnino destituta; sed nuda, & solum de facto contra legem occupatio, neutiquam manutenibilis, conservabilis, aut reintegrabilis habeatur. Constito igitur Iudici à quo per exceptionem liquidam, claram, incontinenti instrumentaliter probatā, in vim dilatoriæ legitimè, & foraliter oppositam de non iure agentis, meritò Comitem non fore partem ad progressum litis, & causæ, nec in ea ad ulteriora fore procedendum Iudex à quo pronūtiavit. HÆC omnia, quamvis perspicua, variis rationibus obnubilare Comes tentavit: ex quorum satisfactione veritas ipsa maiori luce donabitur. Duplici præcipuo medio conatur sententiā Iudicis à quo evertere: in vim nullitatis primò, secundò ex capite iniustitiæ, de quibus sigillatim, & ordinatè claritatis gratia est sermo faciendus. Primo dicit nullam, quia cum actoris, nec rei libello conformat: non actoris: quia super possessione non pronuntiat: non rei: quia supplicavit declarare Comitem *non fuisse, nec esse partem ad instandum, nec prosequendum, nec fore procedendum ad ulteriora*: Iudex verò solum dixit, *non esse partem, nec audiendum ad prosequutionem, nec ad ulteriora procedendum*. Facilime tamen hæc ratio eliditur: quia hæc sententia non cadit super principali possessorio iudicio, quāvis illū absorbeat progressum impediendo, sed su-

ſuper exceptione oppoſita in totum excluſiva iuris agẽtis, in qua Diputati actores, Comes reus eſt: illi *non fuiſſe, nec eſſe partem, nec procedendum ad ulteriora ſupplicarunt*, Comes vero in replicatione adverſus exceptionem, è contra peciit *declarari ad ulteriora procedendum*. Iudex dixit, *non eſſe partem, nec audiẽdum ad proſequendum, nec fore ad ulteriora procedendum, cætera ſupplicata locum non habere*: in nihilo igitur ſententia diſcordat quando ſuper ſupplicatis pronuntiat. Et quamvis addiderit, *nec audiendum*, non relevat, dixit primo *non fore partem*, & ita *non fore audiendum* venit in neceſſariam conſequentiam: qui enim nõ eſt pars, nec itidem debet audiri, & expræſsio eorum, quæ tacitè inſunt nihil operatur, maxime ad nullitatem inducendam. Nec obſtat incompatibilitas, & prætenſa repugnãtia in faciendo partem Comitem ad inſtandum, non vero ad proſequendum. Solvitur enim hæc obiectio adhibita diſtinctione. Si initium iudicii, vel inſtantiæ ſumatur à litis conteſtatione; certum eſt eum quem ad inſtandum admittimus, nec minus ad proſequendum admitti debere: quia lite iam conteſtata ſolum per diffinitivam inſtãtia finitur, vel per deſertionem: Si vero inſtãtiæ initium; prout debet; ſumatur à citatione uſque ad conteſtationẽ; plura enim interim iudicialiter fiunt citatio, reportatio, libelli oblatio, cautio, exhibitio, exceptionis dilatoriæ oppoſitio, contra illam replicatio, & ſimilia: pro his omnibus pars eſt, & ſaltim quoad iudicem, audiẽdus actor, & actio, vel inſtantia durãt quouſque per exceptionem à Iudice admiſſam eliduntur, & à iudicio actor excluditur: ſi etiam exceptio non opponitur; prout poteſt per reum ommitti; ſemper actor erit audiendus, & lis conteſtabitur, & uſque ad diffinitivam erit pars. Fuit itaq; pars

Comes ad inſtandam citationem, & ad alia faciendum, & exceptione oppoſita ad dicendum contra illam, prout fecit: cognito tamen ſuper exceptione impeditiva litis ingreſſus, & ea admiſſa fuit per eam Comes à iudicio excluſus, & ſic non eſt pars ad proſequendum: aliàs admiſſio exceptionis impeditivæ ingreſſus, ſi Comes maneret pars, ſupervacanea redderetur, & inutilis. Fuit itaque in effectu dicere, & declarare abſolutè partem Comitem donec de non iure ſuo fuit per exceptionem legitimè cognitum, & pronuntiatum, quod iuri, nec foro repugnat. Quod omne in pronuntiatione illa *non fore procedendum ad ulteriora in cauſa* erat inviſceratum, & compræhenſum: & ſic præcedentia ad ſummum ſuperflua, non tamen pugnantia inter ſe, aut annullantia cenſemus. Dicit ſecundo nullam: quia non licuit Diputatis deducere, nec iudici à quo admittere per viam exceptionis illud idem quod actor deduxerat in ſuo libello in vim actionis: dixerunt Procuratores Comitis in libello Diputatos, ſub colore, vel colore quæſito, quòd eorum principalis fuiſſet repoſitus in Statu, & Comitatu de Aranda, ſalarij ſolutionem denegaſſe: vult inde Comes, quòd exceptio ſtatus, & anexæ nobilitatis quæ ſupervenerat fuerit per eum in libello in vim actionis deducta. Reſpondetur tamen primò, factum negando. Quia tunc fuiſſet deducta in vim actionis, quādo Comes poſitive, & aſſertive ſe fuiſſe repoſitum, & inde nobilem aſſeveraret: exceptionem in eodem libello, vel in facto, vel in iure offuſcare, vel elidere contenderet: & repoſitione, ſive nobilitate non obſtantibus, fore in poſſeſſione conſervandum concluderet, & ſupplicaret: in his duob⁹ ultimis omnino deffecit, nec minus in primo. Dicere enim Diputatos colore quęſito repoſitionis ſolu

tionem denegasse, non est aseverare fuisse Comitem repò situm, sed Diputatos sub colòre repositionis certæ, vel incertæ, quam extare ipsi dicebant, exactionem impedire: solùm itaque asseverāt Diputatorum dictum, & factum, non tamen dictum esse verum, sed ad summum pro colore sumptum, quod potius incertitudinem, quàm veritatem denotat. Vnde non obstante illa Comitis asertione, si Diputati de repositione non exciperent, vel si exciperent non probarent, & negasset Comes veniret in possessione servandus. Et tantum abest quòd voluisset Comitatum, & nobilitatem in libello exprimere, quòd adhuc in citationis cartello, & libello ipso, & alijs enantamentis in processu ante replicationem contra exceptionem factis titulus Comitis omnino fuit suppræsus, & solius Gubernatoris Aragonum scriptus: non itaque deduxit in vim actionis exceptionem oppositam. Dato tamen quod repositionem deduxisset, & in vim actionis allegasset, quid inde? poterat ne hac via iura eludendo deffensionem Diputatis tollere, litium longitudine, & impensis involuere, & vexare in omnium in Regno degentium pernitiem? Absit. Vnde vel fuit deducta, vel non. Si hoc ultimum nullitas ubi? Si primum, se ipsum exclusit, & ab onere probationis Diputatos relevavit, & per illos supplicata a fortiori procedebāt: redderentur ad summum allegatio exceptionis, & probatio otiosæ: supplicatio vero, & iudicis declaratio semper iuri, & Foro conformes. Vltimo nullam vult ex defectu potestatis Francisci Panzano, sed iam in superioribus est responsum. Et ex omnibus nullitatis fundamentum manet elisum. AD CAPVT iniustitiæ deveniēdo, illā ex pluribus adstruere cupit Comes. Primò, quia Forus nobiles non exclussit, nec in littera, nec in ratione finali, & decissiva: non in litte-

te-

tera, dum solùm voluit officium Regi per militem naturalem, & domiciliatum suppræso verbo *simplicem*: non in ratione: solùm enim prohibuit Richos illos homines magni status, de quibus propter illorum magnam potentiam non poterant, immo nec Regnicolæ audebant conquæri de eisdem. Hæc tamen aduersus dimicant fortiter, & satisfaciunt quæ supra pro decisione diximus, quibus (licet sufficientibus) sequentia ex abundanti libuit annectere. Si enim verbum substantivum *miles* in dispositivis positum in tota sua latitudine, & comprehensione deberet intelligi, & per adiectivum *simplex* in rubro positum non fuisset notoriè circunscriptum, nec etiam Ricci illi homines; quantumvis potentes, & magni status; essent exclusi: quia & illi milites erant, vel poterant quandocumque ad militiam promoveri, & legis universa structura corrueret necessario. Si ergo ratione potentiæ vult Comes à Foro Richos homines; & si milites; exclusos, ne lex frustratoria redderetur: cur non ittidem nobiles ratione pœnarum immunitatis? Nulla minor, maior potius ratio potest, & debet considerari quando lex iterato vult per tales officium regi contra quos pœnæ corporales locum habere possint, & exequi in eisdem, addito statim *cum tales pœnæ in alijs personis maioris status locum habere non possent bono modo*: quemlibet itaque statum maiorem, vel maximum in quo pœnæ locum habere non possunt exclusum expræsse dicimus: & cum intra spheram militum in solis simplicibus pœnæ locum habeant, hos solos ad officij regimen admissos censemus. Bonam fidem super prædictis quodãmodo agnoscens Comes opponit de inobservantia Fori respectu saltim qualitatis militiæ simplicis: post eius siquidem editionem si non nobilis, saltim nullus invenitur officio decoratus

qui

qui mesnadarius non fuerit,& sic non miles simplex.Hęc tamen in observantia(si talis dici valet)est quid facti,quę debebat à Comite, vel in libello; si in vim actionis (vt vult)exceptionem deduxit; vel in replicatione ad opposi tam exceptionem articulare:nullibi fecit : nihili itaque hæc oppositio habenda. Quatenus tamen articulasset, & verum esset quòd semper , vel aliquando mesnadarij milites ad officij regimen fuissent electi : admisio hæc potius Fori observantiam confirmat , eiusque rationem verè decisivam ostendit:quia miles non nobilis; quamvis mesnadarius;simplicis militiæ spheram non egreditur,maioribus privilegijs , vel immunitatibus non gaudet,pœnis corporalibus obnoxius remanet: cùm itaque lex nostra solum voluisset militem pœnarum capacem, quòd sit,mesnadarius,vel non, quid ad rem ? Immo potius eo ipso quôd tales mesnadarij Regentes officium fuerint & familia clari , & locis & vasallis dominantes, & à Reguum munificentia ad officia & munera præclara elati;prout exaduerso prætenditur;fit inde non tam in potentia fundari legis prohibitionem , sed potisimum in nobilitate pœnarum exclusiva,quę in solis nobilibus, non verò in mesnadarijs utcumque potentibus verificatur. Insurgit secundo dicens. Nobilitas saltim quoad eius effectus est renuntiabilis,officium accepi, iuravi, & post repositionem in exercitio continuavi:renuntiavi itaque nobilitatis effectus,& ratio finalis,& decisiva Fori cesavit. Dicimus tamen facultatem renuntiandi nobilitatem;præsertim quoad omnes effectus; esse de iure dubiam,& de Foro multo magis: & respectu immunitatis à pœnis corporalibus; præsertim mortis naturalis ; fere improbabilem.Quidquid tamen de hoc sit;in quo iudicium suspendimus;in præsenti extra quæstionem versamur

mur:nullibi siquidem ex processu constat Comitem nobilitatem, nec effectus renuntiasse:non expræssè verbis, desunt vtique:nec factis tacite:quia quæ præcesserūt nobilitatem, nempe acceptatio, iuramentum, & exercitium non fuerunt apta ad inducendam rennntiationē novæ,& futuræ qualitatis:quia illroū effectus nō extenduntur ad ea de quibus non fuit dictum, & de novo superveniunt, immo quoad omnes intelliguntur rebus sic stantibus. Quæ autem subsequuta fuerunt continuationis in exercitio post acceptationem sententiæ nobilitatis expræssam;cum fuerint æquivoca pendentia à quæstione illa facultatis nobilitatem renuntiandi; non sufficiunt ad exprimendam renuntiandi voluntatem:semper enim posset Comes defendere se non renuntiasse, nec renuntiare potuisse:& hac via iustitiæ cōplemētum impediretur, & bono modo non posset consequi, contra verba, & mentem legis. Quidquid autem fuerint ad renuntiandum habilia, non vero ad reintegrandum titulum per supervenientem nobilitatem amissum:quia semel admissa qualitate incompatibili non potest acceptans penitere: itaq; solùm ex eis induci habilitas posset ad novam gratiam eiusdem officii obtinendam. Et eo ipso, quòd Comes prætendat per continuationem exercitii renūtiationem nobilitatis elicere, fatetur nobilitatē fuisse in eius persona radicatam:aliàs contra naturæ regulas privationem sine habitu,& qualitatem sine subiecto desideraret. Si autem adhuc contendat talem fuisse continuationem, ut nec in instanti temporis cessaverit exercitium, & sic nec tempus aliquod fuisse,in quo nobilitas, vel eius effectus introducerentur:iam à fundamento renuntiationis desisteret, & se non nobilem diceret contra ipsiusmet voluntatem expræssam per sententiæ acceptationem declaratam,

tam,

tam,& contra ea quæ in processu leguntur,in quibus asse verat qualitatē eidē supervenisse,& illam cūOfficio,non esse incompatibilem : unde clara voluntas admittendi, qualitatem,& eam simul cum officio retinendi , & conservandi detegitur contra renuntiationem,vel non intro ductionem prætensas. Nec dicere tertio obstat nobilitatem inhabilitare potuisse Comitem in ingressu , non vero in progressu:quia verba *deinceps,in perpetuum regatur, & regi debeat* nostræ legis talem distinctionem excludunt. Et in continuatione in qua Officiales damna irrogare possunt,non in instantaneo ingressu;ubi pericu lum omnino cessat;ratio decisiva,& finalis potentius,& efficatius operari debet , aliàs lex omnino periret. Hæc & si certa apertiora fiunt ex Foro ipso qui eundem Gubernatorem legitime in ingressu introductum , & illo tunc exercentem non Officio sed exercitio privavit. Si ergo Gubernator tunc legitime iam introdúctus, ius in re habens , illico per novam legem contra solitum fieri (quia fere semper respectu personarum, & temporis leges futura respiciunt)privatur: quanto melius virtute le gis iam latæ,quam Comes non ignorabat,vel scire debe bat,quamtumvis legitime introductus,contra legem tamen ipsam, qualitatem incompatibilem acceptans privari debet ? Tuuc Gubernatorem solo exercitio iurisdictionis lex privavit,in exercitio itaque damnum fieri pos se consideravit,non in habituali officio iurisdictione destituto:sic itidem in continuatione officij,ubi iurisdictio exercetur,non in ingressu talis exercitij vacuo legem efficatius, & fortius operari dicendum venit. Non etiam contra facit quartum dum dicit sine causæ cognitione non potuisse sua possesione privari.ET quamvis super hoc nimiè insistat, & contra naturalem rationem,ius,&

Fo-

forum fieri clamitet, non tamen bene: quia est auditus Comes legitimè prout vult forus, & idem ipse elegit. Iudicium enim reintegrandę, seu; ut ipse vult; retinendæ, vel conservandæ possessionis intentavit, eligendo formam procedendi iuxta formam Fori *querientes de firmis iuris super possessio.* Forus ille locum dedit reo ad opponendas quascumq; exceptiones processum impedientes, terminum assignavit actori ad replicandum cōtra oppositam exceptionem, & utrique parti ad probandum, & publicādum, & iudici super vi, & effectu exceptionis an impediat, vel nō ad ulteriora progressum, pronunciandi. Citavit Comes Diputatos, libellum obtulit, illi ante contestationem opposuerunt exceptionem processum ad ulteriora impedientem, contra eam replicavit Comes, partes probarunt, & publicarunt, iudex pronuntiavit, quod recusare nec poterat: si igitur forma legis, etiam à Comite electa, fuit ad unguem servata, quomodo potest se non auditum asserere? Præterea, partium audientia vel in infacto esse debet, vel in iure: pro facti veritate eruenda processus formatur, ad docendum de iure allegationes modo verbales, iam in scriptis fiunt: super facto processus adest legitimus, taliter veritatem facti demonstrans, quòd in ea partes concordant: posita enim nobilitatis exceptione, Comes illam nōn negavit, immo eidem super venisse, & in suo libello eandem in vim actionis deduxisse fatetur expræsse: in facto itaque cesat contentio: si autem aliqua remanet, solius iuris est, super quo, verbo, & scriptis ad facietatem allegavit: plenissime itaque fuit auditus, & quatenus possessor esset, non spoliatur inauditus, nec sine causæ cognitione, & sententia legitima, & forali. Quamvis hæc ita sint notoria aliquibus obumbrare conatur: ait enim

enim, ſecundum præfatum Forum *Querietes* reo non licere ante conteſtationem opponere exceptiones peremptorias concernentes merita cauſæ, ne in incidenti iuſtitiæ originalis merita pandantur, ſed mere dilatorias, quę cauſam principalem non dirimant. Sed hæc replicatio foro, iuri, & receptiſsimæ praxi adverſatur. Quia quando exceptio eſt notoria, incontinenti, & iuxta forum, inſtrumentaliter probata, quamvis merita concernat, & mere peremptoria ſit, admittenda venit in vim dilatoriæ. Et taliter ſunt heæ exceptiones privilegiatæ, quòd per ſtatuta tollentia quaſcumque excepciones numquam, cenſeantur excluſæ: habent enim pro ſe rationem illam naturalem, & ſic immutabilem, evitandi ſumptus, & litium moleſtiam ad inſtantiam illius qui omnino iure deſtitutus ad iuditium provocat: & hoc eſt ita conſtans quòd Comes ipſe agnoverit quando in replicatione dixit. *I la dicha excepcion ſolo pudiera tener lugar en caſo que eſta parte huviera callado la dicha repoſicion, i fundàra eſte pleito, diziendo, que eſtaba en poſſeſsion del Oficio, i no huviera alegado lo demas que ſe contiene en ſu propoſicion de firma, que entonces pudiera entrar el excibir las aſertas partes contrarias, la calidad que le ha ſobrevenido poniendolo por via de excepcion.* Nec quidquam facit replicare notoriam non eſſe, ſicque non ſummariè decidendam, ſed in diffinitivam reſervandam. Ex dictis namque de notorietate in facto dubitari non poteſt: ſi autem dubitatio aliqua; quamvis ſolicita; valeat conſiderari in ſolo iure verſatur, quæ ſecundum æquiorem, & receptiorem ſententiam determinationē retardare nequit: ius enim temporis lapſu non mutatur: unde exceptoines in ſolo iure dubiæ ad diffinitivam reſervari nō debent; pręcipuè quādo ex illarū declaratione proce-

ce-

cessus postea formandus redderetur retro nullus,& partium expensæ omnino inutiles. Quando factum est certum ad quid postea processus,nisi ad vexandas partes cõtra æquitatem,& rationem ? Tum,& etiam:quia in præsenti nec adhuc iuris dubium versatur tale, quod intrincatum dici possit:non enim dubietas metienda venit oppositionibus,& replicationibus partium numero pluribus,sed illarum cuiuslibet virtute,& potentia:quamvis itaque tot,tantisque ponderationibus bonum,& clarum ius Regni offuscare Comes intenderit,quælibet in se debilis,& fragilis ex dictis apparet,unde nec adhuc probabilitas remanet quæ animum ad reservationem movere posit.Non etiam quintum , & ultimum contra facit,in quo dicitur Comitem per amisionẽ tituli possesione tamen non fuisse destitutum. Licet enim verisimum sit, & in iure constans per renuntiationes tacitas solum titulum,possesionem tamen non ammitti,si in eadem renuntiantes insistant : hoc procedit, quando taliter insistens aliquo posibili colore retentionem velare posset: pro vt evenit in ascendente ad secundum beneficium curatum: tunc quamvis sit de iure incompatibilitas manifesta,non ideo omnino de non iure constat ad primũ retinendum : quia posset de dispensatione apostolica docere. Quando verò color adhuc per posibile deficit,taliter quòd possesioni insistens inexcusabiliter detinet, similiter,& possesionem amitti tritum est. In nostro cassu color omnino cessat: stante namque legis incõpatibilitate vel prohibitione,habilitari Comes non potuit,nisi per Generales curias:quæ tamẽ post ammisionem tituli non sunt celebratæ. Quatenus autem color aliquis Comiti posset asistere ad possesionem tuẽdam, hoc solùm considerari debet ad effectum ne inauditus

spo-

ſpoliaretur, & audientia tali caſſu ſumariſsima ſufficeret ex comuni Doctorum placito, quod fori noſtri non reſpuunt, id potius adſtruunt; & confirmãt. Cum itaque fuerit in forma forali quamvis ſummaria, (in effectu tamen plenaria) auditus Comes, & de deffectu tituli, & ſic de non ſuo iure conſtiterit, nulluſque color pro poſſeſsione allegata tuenda aduenerit, nec ipſe deduxerit, iam illa non poſſeſsio, ſed nuda de ſolo facto contra legem occupatio cenſenda venit, & ſic neutiquam manutenenda, conſeruanda, nec ſuo caſſu reſtituenda; ut dicebamus in ſuperioribus; & obiecta omnia tam nullitatis quàm in iuſtitiæ contra ſententiam iudicis â quo põderata, & deducta, deſtructa manent, & hæc confirmatio iuſtificatur. Et aliâs attentis contentis.

Sig ✠ num mei Ioãnis Ægidij Calvete, Infantionis Scribæ Mandati ſuæ Maieſtatis, Civis Civitatis Cæſar-Auguſtæ, qui huiuſmodi vota, & motiva ab originali libro Regij Conſilij cauſarum Civilium præſentis Regni Aragonum ubi continuata exiſtunt extraxi, comprobavi, & ſignavi.